

tans: aliquando in speculi, quandoque vero in eadem cum visu superficie, & nonnunquam retro visum. Atque hæc omnia contingunt pro varia objecti & oculi collo- catione, quæ, prout diversa fuerit, diversa quoque hæc sistit phænomena. Ut res clarior evadat, illustramus eam duobus iterum exemplis. Supponamus in casu fig. 4. AB esse speculum cavum, oculum vero nostrum collocatum esse inter centrum L, & superficiem speculi, in E, jam videbit hic objectum CD, remoto satis loco, & quidem eo semper remotiori, quo remotior oculus a superficie speculi intra centrum fuerit. Idem vero spe- culum AB in casu fig. 5. intuens oculus E, post cen- trum L positus, videt objectum CD, ante speculum in aëre pendulum in *cd*, & quidem (quod auget admira- tionem, præsentis vero loci non est,) inversum. Et hæc sunt primaria duo speculi cavi phænomena: reli- quorum enim differentia non est aliunde, quam à ma- jori, vel minori oculi & objecti a speculo distantia; juxta quam etiam deinde objecti imago vel propius speculo, vel propius visui conspicitur.

CAP. II.

Principia quædam demonstrandi præmittens.

§. I.

PERSPECTIS hisce phænomenis, in causas quoque illo- rum ac fundamenta inquiramus necesse est: prius- quam vero illa consideramus, præsupposita quædam, ad melius illa percipienda, præmittenda videntur.

§. II. Sup-